

tiendum; qui est sensus divinus, vel super actum, ut cum eadem integra efficaciarum ratione stet simul actus diffusus; qui est sensus compositus; propositio illa ex se non clarius involvit sensum compositum, quam divinum: atque adeo illam distinximus, nec in sensu composito sensum divinum fiximus. Ex quibus una cum his, quæ diximus numero 18., iis, quæ hoc numero deinde dicuntur, plane satisfactum est.

Numero 22. Dum dicunt, gratiam prævenientem proprie cum voluntate conversionem efficere; si per ly *proprie*, intelligant formaliter, id est, quatenus præveniens est, aperte sibi ipsis contradicunt; nam supra numero 19. dixerunt, auxilium, quæ ratione nobiscum operatur, esse concomitans. Si autem quid aliud intelligant, quam *formaliter*, insolutum manet, quod in eos observatione nostra ad hunc numerum retulimus. Ad id vero, quod ex S. Fulgentio dicunt, numero primo responsum fuit.

Numero 23. Perperam usurpari existimamus nomen efficaciarum pro efficientia. Nam efficientia actualis, quæ ipsa effectus productio est, pendet ab efficaciarum productis. Idem autem non dependet a se ipso. Unde terminos, quos distinximus, ipsi confundant.

Ex quibus patet ad numeros 24. & 25.

### CONSECTARIA

A Patribus Societatis deducta

Ex superioribus PP. Prædicatorum Animadversionibus.

EX his Animadversionibus PP. Prædicatorum constant octo sequentes propositiones, in quibus est controversia inter ipsos, & nos.

1. Voluntas per motionem gratiæ efficacis, tanquam a causa prima supernaturali, prædeterminatur a Deo, prius natura, & ordine causalitatis, non autem tempore. Ex numeris 7. & 8.

2. Efficacia gratiæ prævenientis posita est in intrinseca motione, ex cuius sola vi, & virtute voluntas, juxta suum modum, proxime preparatur ad gratiam.

3. Scientia, quæ Deus cognoscit, motionem gratiæ ita congruere voluntati, ut, si per eam præmoveatur, sit infallibiliter præstitura consensus, non est in illo ante decretum Divinæ voluntatis.

4. Efficacia auxilii prævenientis non est vitalis motio; ac proinde nec a voluntate, sicut a principio vitali, sed a solo Deo: num. 12.

5. Efficacia auxilii prævenientis tota consistit in sola natura intrinseca motionis: ac proinde ex sola sua natura, & virtute est complete efficax. Ex num. 13.

6. Infallibilis connexio auxilii efficacis cum voluntatis consensu, sicut in causa, est in virtute talis auxilii: ac proinde nullo modo a creata voluntate dependet: num. 15. & 17.

7. Quamvis liberum arbitrium sæpe resistat auxiliis gratiæ sufficientis, non tamen illa reddit inefficacia: num. 18.

8. Dissensus liberi arbitrii in sensu composito non potest stare simul cum tota entitate motionis gratiæ prævenientis: num. 21.

Nec tamen in his solis controversia est, sed etiam in aliis, quæ facile constabunt, si, quemadmodum nos respondimus ad quæstiones ab ipsis propositas, [a] in quibus sunt, quæ ad controversiam non pertinent; ita & ipsi respondeant ad eas, quæ in 3. Congregatione a nobis propositæ

sunt; in quibus potissimè controversiæ partes, & fundamenta attinguntur: quibus Patres Prædicatorum, speciali aliqua ratione ducti, respondere huc usque detrectarunt: ea fortasse, [b] ne vel periculosa approbare, vel a suis asserta reprobare, cogerentur. Sic enim omnes illæ inter se sunt connexæ, ut nec possint ad eas respondere, non destruendo modum, quo sentiunt, voluntatem per gratiam efficacem a Deo præmoveri, nec sine illis possint omni ex parte intelligi, quid, aut in quo reposita sit efficacia gratiæ prævenientis; ac proinde neque a quibus causis oriatur.

Si enim ad 2. quæstionem, negetur prædeterminatio voluntatis ad realem entitatem actus mali, [c] sicut necessario videtur neganda; manifeste colligitur, eam prædeterminationem non esse necessariam ad actus liberos bonos, ordinis naturalis, atque adeo neque ad supernaturales. Quare efficacia auxilii prævenientis non poterit consistere in ea prædeterminatione.

Simili ratione, si hæc prædeterminatio dicatur esse necessaria ex parte actus primi, & ut voluntatem compleat in actu primo, re ipsa negatur, esse auxilium vere sufficiens ad operandum: [d] quod, nisi tribuat omnia antecedentia, quæ in voluntate ante consensum, ex parte Dei, sunt necessaria, re ipsa non est ad operandum sufficiens.

Denique, si in altera quæstione admittatur communis definitio potentie liberæ, quæ sine temeritatis periculo rejici non potest: recte inferitur, aut prædeterminationem auxilii prævenientis non esse ad operandum necessariam, aut voluntatem non esse in operando liberam; quippe quæ cum prædeterminatione, quæ ad operandum prærequiritur, non potest non operari, & illa deficiente, operari non potest. [e]

Ex quibus patet, quæstiones, a nobis propositas, intinui attingere controversiam de efficaciarum gratiæ, quam illas, quas Patres Dominicani proposuerunt: videlicet an prædeterminatio sit diminuta in mediis necessariis ad salutem; & an, posita prædeterminatione, ac præscientia, homini relinquatur libertas: de quibus inter Theologos Dominicanos, & Societatis nulla unquam controversia fuit.

### CONSECTARIA

A Patribus Prædicatoribus deducta

Ex suis ipsorum Animadversionibus.

Cum Patres Societatis in his octo propositionibus, ab ipsis collatis, quas ex nostro scripto constare dicunt, quædam addiderint, quædam etiam subtraxerint, quæ sensum non parum mutare videantur; visum est, eas accurate, & fideliter, ut in eodem Scripto tradidimus, referre.

1. Prædeterminatio accipitur dupliciter: primo pro determinatione ad unum, cum impositione necessitatis, sicut est in rebus naturalibus: & isto modo nec gratia efficax, nec Deus, per gratiam efficacem, prædeterminat voluntatem ad piam operationem. Secundo accipitur pro motione gratiæ, quæ efficit, ut voluntas liberæ, & infallibiliter se determinet, tanquam secundum determinans liberum, sub potenti manu primi determinantis: & isto modo verissimum est, Deum physice, seu efficaciter determinare voluntatem ad piam operationem, prius natura, & ordine causalitatis, non autem temporis.

2. Efficacia actualis auxilii prævenientis gratiæ consistit in reali, & intrinseca motione, recepta in

in intellectu, & voluntate; ex cuius sola vi, & virtute, voluntas, juxta modum suum, preparatur proxime ad gratiam.

3. Hæc infallibilitas (quæ scilicet certo, & infallibiliter præstat Deus hujusmodi motionem, quam Patres Societatis congruam ponunt, ita aptari, & congruere voluntati, ut, si per eam præveniatur, sit præstitura consensus) non potest certo colligi ex præscientia Dei, ante decretum Divinæ voluntatis.

4. Efficacia auxilii prævenientis, formaliter pro ipsa vi, & virtute auxilii, non est vitalis motio; & per consequens, proprie loquendo, non est a voluntate, vitaliter influente, sed a solo Deo, qui solus dat vires efficacissimas voluntati, & facit, ut sciamus.

5. Tota efficacia auxilii prævenientis gratiæ consistit in illa motione, de se, ex natura sua, hoc est, secundum veritatem intrinsecam, quam habet a Deo, per quam ipse efficit, quod nos libere, & infallibiliter cooperemur.

6. Infallibilis connexio gratiæ efficacis cum futuro consensu est virtualiter in ipsa vi intrinseca auxilii efficacis, tanquam in sua causa efficienti. Nam per illud auxilium efficit Deus fortiter, & suaviter, quod voluntas liberæ, & infallibiliter consentiat, & pie operetur: nec in ista ratione dependet ullo modo, vel remote, vel indirecte, ab ipsa voluntate.

7. Auxilii prævenientis gratiæ, intrinsece efficacibus, potest quidem semper liberum arbitrium

resistere, vel dissentire, si velit; nunquam tamen dissentire. Nec subinde potest reddere inefficacia auxilia, quæ, prout veniunt a Deo, sunt intrinsece efficaciarum.

8. Dissensus liberi arbitrii, in sensu composito, nec stat, nec stare potest simul cum integra, & completa efficaciarum ratione; bene tamen in sensu diviso.

Ad ea, quæ nobis consequenter opponunt, respondimus. Ad 7. [a] dicimus, nullas nos in mutua collatione quæstiones proposuisse: quare nunquam ipsi responderunt ad quæstiones, quas nos proposuerimus, sed solum ad illas, quas Illustrissimus Cardinalis Madrutius utrique parti proposuerat.

Ad 7. [b] Suspicio hæc prima Societatis vanissima est. Rationes enim, propter quas impertinentibus istis, ac inutilibus quæstionibus, quas nonnulli in negotio de gratiæ efficaciarum proponere voluerunt, respondere nolimus, jam alias diximus: quas cum Patres viderint, mirum est, quod certa relinquentes, ad suspiciones confugiant.

Ad 7. [c] Quod de prædeterminatione ad entitatem actus peccati, & ad actus bonos ordinis naturalis, asserunt; ad rem, ut sæpe diximus, præsertim numero 3., nihil facit.

Ad 7. [d] quam vana sit hæc illatio, n. 4. plane ostendimus.

Ad 7. [e] Istis denique plane alias, & modo numero 3. & 8. satisfacimus.

### VIII

## EXCERPTA EX MANUSCRIPTIS CODICIBUS LUDOVICI MADRUTII,

S. R. E. Cardinalis, & Episcopi Tridentini:

Ex quibus ejus, de controversiis inter Prædicatorum, & Jesuitas quæstionibus, sententia dignosci potest.

Judicium Card. Madrutii de Doctrina Societatis: quod non differat ab errore Semi-pelagianorum; ex M. SS. pag. 5. & seq. (1)

Patres Societatis, quia vident, sententiam S. Augustini fuisse sæpe per Ecclesiam approbatam, nec posse illi repugnari sine nota temeritatis, conantur ostendere, se illam sequi: cum tamen qui ex ipsis primo has controversias excitarunt, aperte confessi sint, se ab illa recessisse.

Tamen etiam ex antiquis concertationibus apparet, an hæc sententia Patrum Societatis sit ea, quam S. Augustinus tenuit. Nam Pelagiani S. Augustino affingebant Manichæismum, quasi omnia fato fieri diceret, & absoluta necessitate, ac penitus arbitrii libertatem tollerent; nec tamen unquam S. Augustinus confugit ad ista media, quæ Patres Societatis ponunt. Quod si S. Augustinus sensisset, gratiam congruam illam esse, quæ contemperatur libero arbitrio, eamque infallibiliter operari, præsupposita ea cognitione Dei, quæ liberum arbitrium, sic vocatum, consensus ex innata libertate, prævidet; profecto exemisset a mente Pelagianorum illam opinionem, quam non solum de ipso, sed de omnibus sen-

tentiæ suæ sectatoribus conceperant. Nam S. Augustinus semper hoc agit, ut contendat, non facto, sed Dei voluntatis absoluto decreto, hominem vocatum, & excitatum, consentire, consensusque internum facere, qualem vult, non qualem invenit.

Massilienses Pelagiani, & alii, qui se a Pelagio sequebantur, doctrinam tamen S. Augustini plura objiciebant, quibus se scandalizatos, contendebant. At nunquam S. Augustinus ad istas doctrinas, aut positiones confugit. Immo, si attente legantur libri de Prædeterminatione Sanctorum, & de dono Perseverantiæ, apparet, ipsum suis solitis inhæsisse fundamentis. Neque unquam illam gratiam (2) dixit, quæ contemperetur, congruatque voluntati, & libero arbitrio. Nec illius infallibilitatem ponit in eo, quod Deus viderit, consensus hominem; sed in eo, quod ipse est facturus, & quid homo suæ gratiæ dono sit futurus.

Idem, quod S. Augustinus agit in hoc, sequuntur.

(1) Ad Cap. 8. libri 2. *Historiæ de Divinis Auxiliis*. (2) *Doesse videtur* vox efficacem.

quantur Prosper, & Hilarius, & Fulgentius; idem Coelestinus Papa, idem Concilium Africanum, & Milevitanum, idem Anselmus, & Bernardus. Semper enim efficacia tribuitur ipsi Divinae motioni, & ejus gratiae auxilio: nullibi illa congruentia ex tali contemperatione, & proportionem, nisi quatenus est a gratia, proponitur.

At interim est considerandum, quod eadem, quae obijebantur doctrinae S. Augustini, modo obijcere solent Patribus Dominicis. Sunt enim, qui arbitrantur, si datur auxilium efficax, quo liberum arbitrium motum agit, quod tollitur ratio meriti, & plura alia. Obijciunt passim, si datur talis motio, quod nullus habebit auxilium sufficiens, quo possit salvari; quod in desperationem adigunt homines; quod tollitur omne studium bonorum operum, tolluntur exhortationes; quae omnia obijebant Pelagiani Augustino. At, ut isti confugiunt ad gratiam congruam, & praevia in tali circumstantia, cur S. Augustinus non confugit? Cur illos vicit una iudicii, & misericordiae Dei occulta, & inscrutabili regula?

Non poterant Massilienses capere, Deum inclinare voluntates ad id, quod vult, salva illorum libertate: quod tamen S. Augustinus assererat: Nec solvit illorum dubitationem, quia Deus utitur illis mediis, quibus videtur, illos libere consentire: sed quia potenter, & efficaciter operatur voluntatem in cordibus eorum, quos movet.

#### JUDICIUM CARD. MADRUTII

*De principiis, ac distinctionibus, quibus Praedicatorum, & Jesuitae suas tuerentur assertiones. Quod illa a Calvinismo optime vindicantur; non item illa a Pelagianismo. (1)*

**A**ppetitus naturalis eodem modo movetur, quo appetitus rationalis, per propriam nempe inclinationem, licet praesupponat representationem objecti congruo modo, & licet necessario non sit determinatus ad unum.

Physica determinatio est naturalis, respectu inclinationis physicae potentiae elictricivae actus, non respectu potentiae in se. In agentibus necessariis est determinatio potentiae ad actum, respectu potentiae. Nam brutum determinatur ad unum, respectu potentiae, per actum: homo respectu actus, non potentiae: quia iste, quando actum unum elicit, potest illum non elicere, vel elicere oppositum, respectu potentiae: respectu actus non potest, quando elicit, non elicere; nec potest pro illo tunc elicere oppositum, quia actus oppositi sunt impossibiles.

Appetitus voluntatis in actum peccati est quoddam bonum naturae, licet sit inordinatum, ex inordinatione voluntatis, quae appetitum movet ad illud bonum, avertendo & se, & appetitum a bono incommutabili; & convertendo & se, & appetitum ad bonum commutabile.

Gratia ex sua entitate est efficax; est tamen impediibilis. Unde ex entitate sola gratiae non sequitur infallibiliter effectus; sed bene ex motione Divina, & voluntate Dei: quia tali gratia liberum arbitrium tantum valet, & potest, quantum Deus vult, illa valere, & posse. Unde ex motione, & determinatione Divina fit, quod gratia habeat completam rationem causae efficaciae, ut pote quae a libero arbitrio, ut causa secunda, non impeditur, quia insuperabiliter operatur liberi arbitrii consentum; cum eadem gratia adjuvante Deus praeparat voluntatem, faciendo eam

ex mala bonam, ex prava rectam. Concurrunt tamen ex innata sua libertate; quia per propriam inclinationem, & ipsa est, quae vult, & se determinat, licet mota, ut causa secunda, sui tamen actus domina; utpote quae, secundum conditionem, & potentiam propriam, possit actum non elicere, & dissentire. Quod tamen non facit; non quia cogatur, aut absolute necessitetur: sed quia ita movetur, & inclinatur, ut delectabiliter feratur in objectum, illudque libere amplectatur.

Lutherus, & Calvinus saepe utuntur aliquibus principiis Catholicis, ex quibus colligunt haereticas conclusiones; nec ideo principia sunt impugnanda; sed conclusiones. Nec est utendum locutione ipsorum, quando est ab ipsis conficta, sed quando est ab ipsis usurpata. Propterea, quae notantur a Patribus Societatis in Praedicatorum doctrina, principia, conclusiones, & distinctiones reducuntur ad sensum Catholicum, & sunt de mente S. Thomae, cujus etiam sunt distinctiones: & vel sunt communes Scholis, vel certe ab omnibus habitae hucusque, ut probabiles; nec quisquam illis unquam obijcit, quod liberum arbitrium tollerent.

Praeterea quae notantur a Patribus Dominicis in Molina, & defendunt Patres Societatis (& videtur ipsorum doctrina) non habent assertorem aliquem probatum Doctorem, neque sumuntur ab aliquo probato Doctore: & in sensu, in quem ex sententia Dominicanorum resolvuntur, non vindicantur per distinctiones, & supposita communia, & recepta in Scholis; sed per nova, quae vel improbantur a multis, vel non satis dilucide explicantur; cum ex opposito Patrum Dominicanorum propositiones resolvantur, & reducuntur ad sensum Catholicum, non solum in ipsis, sed etiam in primis auctoribus.

Qui D. Thomae doctrinam sequuntur, cum distinctionibus solitis, non confictis, quibus vindicantur ab omni sensu haereticorum, non solum effugiunt suspicionem, sed maxime probabiliter loquantur. At contra, qui se doctrinae D. Thomae opponunt per insolitas, & confictas distinctiones, & suppositiones, quae doctrinam D. Thomae rapiunt in sensum haereticorum, negantes apertas, & insolitas distinctiones, calumniose procedunt, & periculose invertunt bonam, & sanam doctrinam, illam sensum conformitatem attribuentes: reducunt doctrinam D. Thomae, contra manifestas sensum distinctiones, in Scholis receptas, ad sensum haereticorum, ipsius Sancti Doctoris sententia manifeste contrarium.

Quae vero resolvuntur per bonas consequentias in sensum Pelagii, vindicantur ab eo sensu novis, insoliticis distinctionibus. Nec ipsorum doctrina subsistet, nisi veteri probata, & recepta, ut contraria fidei ejiciatur.

#### JUDICIUM CARD. MADRUTII,

*De doctrina Banneii, & Molinae: quod illa vere, ac certo Thomistica sit, & Augustiniana; illa non item.*

**V**idetur, quod sententia Banneii sit deducta ex principiis D. Thomae, & quod tota fluat ex ipsius doctrina, licet in modo loquendi aliquo qualiter differat. Nullibi enim S. Thomas dicit, liberum arbitrium moveri concursu physico, sive gratia efficaciter physice praedeterminante liberum arbitrium. Si tamen attente legatur, in re non videtur ab ista Banneii sententia, aut modo loquendi distare.

Pri-

Primo enim S. Thomas tenet, Deum, uti causam primam, & universalem, concurrere cum omni agente naturali, non solum conservando vires illius, sed etiam influendo in ipsum, & movendo, & applicando ad opus. Dicit enim Prima secunda q. 109. art. 1. Quod omnes motus, quod homo non potest tam corporales, quam spirituales reducuntur in primum movens, quod est Deus: & ideo quantumcumque natura aliqua corporalis, vel spiritualis ponatur perfecta, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo; quae quidem motio est secundum suae providentiae rationem, non secundum necessitatem naturae. Et art. 9. in corpore: nulla res creata potest in quantumcumque actu prodire, nisi virtute motus Divinae. Similiter t. p. q. 105. art. 5. Quod Deus operatur in omni operante, & quod primum agens movet secundum ad agendum; & secundum hoc omnia aguntur in virtute ipsius Dei: & ita ipse est causa omnium actionum agentium. Ibidem ad tertium ait, quod applicat formas ad agendum. Quaestione de potentia, art. 9. idem dicit. & art. 4. ait: Quod Deus operatur in omnibus rebus, sicut causa prima, in causa secunda. Idem dicit q. 3. de potentia, art. 2. Unde, etiam quoad actiones liberi arbitrii, ponitur Deus, ut primum movens. Dicit enim Prima secunda, q. 109. art. 2. Quod natura humana, secundum utrumque statum, indiget auxilio Divino ad faciendum, vel volendum quodcumque bonum, sicut primo movente. Unde ponit S. Thomas Deum, ut primum moventem voluntatem, etiam in particulari, ut Prima secunda, q. 9. art. 6. ad 3. dicit, Quod interdum Deus aliquos movet specialiter ad aliquid determinate volendum, quod est bonum; sicut in his, quos movet per gratiam.

Et licet S. Thomas ponat, voluntatem ex se moveri per propriam inclinationem; tamen centies dixit, hoc non excludere motionem Divinam; & voluntatem quidem se ipsam movere, nec tamen primo, nec ut causa prima, sed ut causa secunda. Unde S. Bernardus lib. de gratia, & lib. arbitrio, Attingit autem fortiter, non quidem mobilis discussione, vel locali diffinitione, vel subjecta creaturae tantum officiali administratione, sed substantiali quadam, & ubique praesenti fortitudine: quia ubique universa potentissime movet, ordinat, & administrat.

Etiam D. Thomas ponit, quod motio Dei sit efficax, & efficaciter determinans. Prima secunda, q. 10. art. 4. ad 3. Si movet Deus voluntatem ad aliquid, impossibile est, poni, quod voluntas ad id non moveatur: non tamen est impossibile simpliciter. t. p. quaest. 112. art. 3. Potest considerari praeparatio hominis, ut est a Deo movente; & sic habet necessitatem ad id, ad quod ordinatur a Deo, non quidem coactionis, sed infallibilitatis: quia motio Dei desistere non potest, secundum quod dicit S. Augustinus de Praedestinatione Sanctorum, quod per beneficia Dei certissime liberantur, quicumque liberantur: Unde si ex motione Dei moventis est, quod homo, cujus cor movet, gratiam consequatur, infallibiliter ipsam consequetur.

Et secunda secunda, q. 29. art. 11. in corpore dicit: Impossibile est, hac duo simul esse vera, quod Spiritus Sanctus velit, aliquem movere ad actum charitatis, & ipse charitatem amittat, peccando. Similiter & ubique dicit, Deum sua motione praemovere liberum arbitrium: prima secunda, q. 109. art. 2. ad 1. Quod liberum arbitrium delibere, vel non delibere, est hujusmodi etiam sit dominus, oportet, quod sit ex deliberatione praecedenti. Et cum hoc non procedat in infinitum, oportet, quod finaliter deveniat ad hoc, quod ho-

minis liberum arbitrium moveatur ab exteriori principio, quod est Deus. Quod etiam Philosophus probat de bona fortuna. Unde indiget voluntas sana, moveri a Deo, & multo magis liberum arbitrium hominis infirmi post peccatum. Eadem quaest. art. 6. in corpore: Unde patet, quod homo non potest se praeparare ad hujusmodi gratiae susceptionem, nisi per auxilium Divinum interius moveatur. Et ad secundum: Cum dicitur, homo facere, quod in se est, dicitur, hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a Deo. Quaest. 3. de causa peccati, dicit: Quod causa perficiens, & propria voluntarii actus, est solum id, quod operatur interiorius. Hoc autem nihil aliud esse potest, quam ipsa voluntas, ut causa secunda, & Deus, sicut causa prima. Et ibidem: Iste motus voluntatis procedit a voluntate, & a Deo, qui est voluntatis causa, qui solus in voluntate operatur, & voluntatem inclinare potest in quodcumque voluerit.

S. Augustini doctrinam esse longe diversam ab ea, quae est Molinae, non solum convincitur apertissimis sententiis illius S. Patris, sed ex eo maxime, quod quae in controversiam fuerunt deducta, per plures, qui a Pelagio se profitebantur alienissimos, facile fuissent diluta, si sententia ipsius Augustini illum sensum habuisset, quem aliquando confingit Molina. Nec ipse S. Augustinus, nec Prosper, ejus defensor, nec Coelestinus Papa, nec alii, qui adversarios, & calumniatores doctrinae S. Augustini damnarunt, & vicerunt, unquam sensum Augustini putarunt alium ab eo, in quo capiebatur ab ipsis calumniatoribus. Sed & ipsemet Prosper & Coelestinus illum tuerentur in eo sensu, quo alii scandalizabantur, & tristabantur. (1)

#### JUDICIUM CARD. MADRUTII

*De Propositionibus PP. Societatis, quibus Doctrinae suae sensum exposuerunt, Scripto ab ipsis dato die 5. Augusti 1599. (2)*

**1.** Propositio Patrum Societatis. Dupliciter accipi potest gratia efficax, Primo modo facit, ut voluntas convertatur, & pie operetur: secundo modo simul cum voluntate conversionem, & piam operationem producit.

Judicium Card. Madrutii. Haec distinctio non videtur necessaria: Et apud S. Augustinum, eadem gratia, qua voluntas convertitur, & ex nolente fit volens, cum voluntate conversionem, & piam operationem producit: Illa enim vires efficacissimas tribuit voluntati. Nec potest intelligi, quomodo gratia efficax faciat, quod voluntas convertatur, & pie operetur, & producat cum voluntate coactionem, & piam operationem; cum gratia efficax, ut causa prima, voluntatem moveat, ut causam secundam: quae proinde operatur in virtute prima, & ab illa recipit tantum, ut possit prodire in actum supernaturallem, & excedentem proportionem suae virtutis innatae.

**2.** Propositio Patrum Societatis. Primo modo gratiae praeventivae efficacia non potest consistere in aliqua simpliciter entitate, informando voluntatem, & physice eam praedeterminando.

Judicium Card. Madrutii. Hoc ideo fortitan dicitur, quia arbitrantur, praeventivam efficaciam gratiae determinare prius tempore voluntatem, quam ipsa se determinet: quod falsum est; cum conversio sit una numero actio procedens simul tempore a duobus agentibus, essentialiter subordinatis. Unde auxilium est.

(1) Ex M. SS. pag. 15. & seq. (2) Ex M. SS. pag. 23.

(1) Exstant ibidem alia multa in eundem finem. (2) Ex M. SS. pag. 163.

efficax non precedit, nisi ordine naturæ, & causalitate, liberi arbitrii concursum, & conversionem.

### 3. Propositio Patrum Societatis.

*Efficacia proprie, & formaliter consistit in tribus: & primo in motione intrinseca & reali: 2. in congruitate, qua motio contemperatur voluntati: 4. in infallibilitate, qua conversio consequitur gratiam congruam, & contemperatam voluntati.*

### Judicium Card. Madrutii.

In his, qui, secundum propositum miserendi, vocantur, omnes partes vocationis, quæ non spernitur, habent efficaciam connexionem; sed in ultimo completur tota, & perfecta ratio efficaciam. Tria enim ponit S. Augustinus, quibus completur vocatio congrua, nempe vocationem ipsam, illuminationem, & dilectionis, seu delectationis infusionem; ad quæ sequitur, quod sic vocati moventur, illuminantur, & sequuntur. Verum quia vocati, & illuminati non ponunt infallibiliter consensum liberi arbitrii, ex se non sunt efficaciam, & pertinent ad auxilium sufficiens. At sequi, & animo, atque effectu complecti objectum, non est sine actu liberi arbitrii. Unde efficaciam in hoc ultimo consistat, quo tota vocatio completur.

### 4. Propositio Patrum Societatis.

*Motio efficaciam est semper voluntati congrua, & contemperata, ad illamque infallibiliter consequitur effectus.*

### Judicium Card. Madrutii.

Motio, quatenus motio, etiam in congrua vocatione, non est efficaciam ex se, quia semper tempore precedit liberi arbitrii consensum, & potest rejici, ut etiam illuminatio, nondum accedente delectationis inspiratione. Et vocatio, & illuminatio, quæque per illam offeruntur animo, non complectuntur, unde infallibiliter sequatur conversio. Et hæc est tota vocatio congrua. Et in instanti, quo infunditur delectatio, est efficaciam, per consensum liberi arbitrii, quem gratia causat per infusionem delectationis.

### 5. Propositio Patrum Societatis.

*Ad hanc infallibilitatem, ex S. Augustini sententia, non est satis ipsa entitas motionis, cum non prædeterminet physice voluntatem, immo nec sola congruat.*

### Judicium Card. Madrutii.

Entitas gratiæ efficaciam determinat voluntatem, cum illa primitus auferat cordis duritiam, & delectatione infusa voluntatem faciat ex nolente volentem, eique tunc tribuat, ut actus superioris ordinis eliciat.

### 6. & 7. Propositio Patrum Societatis.

*Sed præterea requiritur præscientia Dei, qua certo, & infallibiliter præscit, hujusmodi motionem aptari, & congruere voluntati.*

### Judicium Card. Madrutii.

S. Augustinus infallibilitatem conversionis tribuit vocationi, quæ fit secundum propositum miserendi. Et Deus in operationibus gratiæ scit, quid ipse fit facturus; & quid homo dono suæ gratiæ fit futurus. Deus quando vult, quomodo vult, & ubi vult, convertit homines. Congruit tamen conversio, quia miris, & innumeris modis in homine operatur; & semper ea congruit ipsi voluntati, quia nullus invitus credit, aut invitus trahitur. At si Deus infundit delectationem; an non congruit semper, quod delectat?

### 8. Propositio Patrum Societatis.

*Ergo congrua, & præcognita a Deo, in talibus circumstantiis habitura consensum, est gratia efficaciam.*

### Judicium Card. Madrutii.

Quando Deus auferit cor lapideum, & convertens vivificat mortuum impium; quæ congruitas est, quam Deus præcognoscit? At certe eam præcognoscit, quam facit dono efficaciam gratiæ. Congruitas vero, quæ legitur apud D. Augustinum ad Simplicianum, pertinet ad gratiam sufficientem; quæ non ex se, sed ex efficaci auxiliio, pertinet ad Electorum vocationem; cum etiam vocatio eorum, qui spernunt vocantem, sit congrua, cum illa possent, si vellent converti. Quod ergo operentur electi, non est ex congruitate, quæ pertinet ad vocationem, & illuminationem, sed ex inspiratione delectationis, & dilectionis, ardoris, & charitatis; quibus fit, ut homo infallibiliter convertatur, & pie operetur.

Illuminatio præbet omnibus; illuminat enim omnem hominem, venientem in hunc mundum; at qui diligunt tenebras, non amplectuntur lumen, nec ad illud se convertunt. Sed, inspirata delectatione, vel dilectione tanta, quæ superet delectationem, vel dilectionem tenebrarum, protinus fit libere hominis conversio: quod enim liberer fit, libere fit.

### 9. Propositio Patrum Societatis.

*Efficaciam gratiæ esse ex motione efficaciam, & propositio absolute convertendi hominem. Qua de causa semper S. Augustinus hanc gratiam vocat; Secundum propositum.*

### Judicium Card. Madrutii.

Dicit Augustinus, gratiam efficaciam, quæ datur electis, & qua certissime convertuntur, dari secundum propositum miserendi. Cur ergo refugiant, uti verbis Sacre Scripturæ, & S. Augustini, quando advertunt, quod propositum, secundum S. Augustinum, est propositum voluntatis miserendi? Unde, si dicunt, gratiam efficaciam esse ex Dei efficaciam propositum miserendi, clarius loquuntur, & magis ad sensum Apostoli, & Augustini. At intentio efficaciam, & propositum absolutum non per omnia equipollent, quoad modum nostrum intelligendi, absoluto, & efficaciam Divinæ voluntatis decreto, a quo pendet præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur.

### 10. Propositio Patrum Societatis.

*Si sermo sit de sola causa proprie efficiendi, tamen gratiæ prævenientis efficaciam esse a solo Deo, sicut a sola, & totali proprie efficiendi causa libera operationis.*

### Judicium Card. Madrutii.

Verum est, quod dicit. (1) Licet enim illa sit gratia efficaciam, cum qua liberum arbitrium libere convertitur, & cooperatur; non tamen concurrat in constituenda efficaciam gratiæ, sed ab illa, ut causa, efficaciter movetur, & determinatur ad conversionem, & alios actus supernaturales. Unde liberum arbitrium non concurrat, ut causa secunda, ad constituendam efficaciam gratiæ, sed ad eliciendos actus, quibus disponitur ad Justificationem, & ad vitam æternam pervenit.

### 11. & 12. Propositio Patrum Societatis.

*Nihilominus eadem efficaciam gratiæ prævenientis, cum sit quadam vitalis vocatio, a voluntate aliquomodo est, non quidem sicut a principio libere agente, sed ante ullum liberum consensum, vitaliter influente.*

### Judicium Card. Madrutii.

Quod gratia fit vitalis motio, non negatur, si ly vitalis capiatur pro eo, quod est vivificare, excitare, & movere. Verum dubium est, ne utan-

tantur his terminis vitalis motionis, ut sæpe aliis utuntur, præter morem communem Scholæ, ut effugia habeant, & involute suam sententiam proferant. At quomodo est aliquo modo a voluntate, (1) si non, ut a potentia libera? Quomodo est a voluntate, si est ante ullum liberum consensum?

### 13. Propositio Patrum Societatis.

*Dicimus, auxilium prævenientis gratiæ non esse complete efficaciam, præcise de se, hoc est, ex sola istius motionis natura.*

### Judicium Card. Madrutii.

Nullus Catholicus reducit efficaciam auxilii prævenientis gratiæ ad solam ipsius motionis naturam, quia completa vocatio, ultra motionem, & illuminationem, requirit delectationis, vel dilectionis, aut ardoris inspirationem, quas S. Augustinus tribuit altiori, vel potentiori gratiæ, cuius motio ex sua natura est complete efficaciam; quia impressa delectatione, homo infallibiliter convertitur, & pie operatur.

### 14. Propositio Patrum Societatis.

*Nec reperiri existimamus Doctorem, Calvino antiquiorem, qui gratiam prævenientem, de se efficaciam eo sensu dixerit.*

### Judicium Card. Madrutii.

Calvinus gratiam non dicit prævenientem naturam, aut causalitatem; sed ponit illam omnino prævenientem, ut determinantem voluntatem, antequam se determinet; immo nullam agnoscit voluntatis activam determinationem. Unde constituit gratiam efficaciam ex se, sine eo, quod causet liberi arbitrii consensum, vel concursum. Unde legit: *Non ego ausum; sed gratia Dei, quæ est in me.* Et contra ejus hæresim est determinatio Concilii Tridentini: nempe quod liberum arbitrium non se habeat in sua conversione mere passive &c. Certe nullus Doctor Catholicus eo sensu docuit gratiam efficaciam. Sed quia, ut causa, inluit in liberum arbitrium, & illud efficaciter movet ad suam conversionem, & actu operationes, ad quas liberum arbitrium lapsæ naturæ se determinare non potest per proprias vires; inde Catholici Doctores dicunt, unam numero actionem conversionis esse gratiæ, & liberi arbitrii, non ut duarum causarum partialium, sed subordinatarum: Unde tota conversio, & consensio est gratiæ, & etiam liberi arbitrii. Unde mirum est, quod arbitrentur, sic sentientes cum Cal-

vino sentire, qui nullum liberi arbitrii consensum activum admittit; nec vult, gratiam libero arbitrio vires tribuere, aut illi virtutem impartiri, qua libere, ut suæ naturæ competit, in opus conversionis, & fidei prorumpat. In quo cum Calvino ex parte consentiant, qui dicant, primam causam non influere in secundam, nec suo motu facere, ut operetur.

### 15. Propositio Patrum Societatis.

*Si talis motio de se haberet infallibilem connexionem cum libero voluntatis consensu, nullo modo sineret, voluntatem suam ad consensum uti libertate.*

### Judicium Card. Madrutii.

Si talis motio præcederet omnino, etiam tempore, profecto sequeretur, quod dicitur: & hoc etiam verificaretur in motione sumpta, ut præcedit ordine, & tempore illuminationem, & delectationis inspirationem. Sed si capitur motio pro auxilii efficaciam impulsu; illa non quidem finit, voluntatem uti sua ad assensum libertate, qua nullo modo in natura, per peccatum corrupta, uti potest voluntas, nisi eleveur, & per gratiam efficaciam determinatur ad id, ad quod per se determinare se non potest. Determinat se autem, mota talis gratiæ prævenientis auxilio.

### 16. Propositio Patrum Societatis.

*Idcirco non solum intrinsecam gratiæ necessitatem, immo nec ejus congruitatem cum voluntate factis esse, ut effectus, ad quem movet, infallibiliter sequatur.*

### Judicium Card. Madrutii.

Si gratia, ut est a Deo, etiam ut est congrua, non producit effectum, ad quem movet infallibiliter; nescio, quomodo efficaciam ejus tota pendet a Deo, & ex se.

## JUDICIUM CARD. MADRUTII,

*De doctrina physice Prædeterminationis. (2)*

Prædeterminationis physice doctrina, quæ aliis quibus videtur non absurda tantum, & nova, sed etiam horum temporum hæresibus favens, si iuste consideretur, Divinæ, summe, & infallibilis providentiæ, & incomprehensibili ejus sapientiæ, potentiæ, & voluntati maxime congruit. Unde nec nova dici potest, nec ullo pacto cum falsis hæreticorum dogmatibus convenit, aut illis deservit. &c. (3)

I X.

# O R A T I O

*A Clemente VIII. P. M. habita 20. Martii 1602.*

In primâ Congregatione de Auxiliis, coram ipso Pontifice celebrata. (4)

Quamvis soli Deo, non autem ulli mortali, actionum mearum tenear rationem reddere; placet tamen impresentiarum consilii mei causas aperire: cur, inquam, hanc universam de Auxiliis Divinæ Gratia controversiam ad mentem S. Augustini expendendam, duxerim. Etenim Sanctum Prosperum, a Rufino hac in re consultum, sapientissime respondisse, semper existimavi; si vere de his questionibus intrui desideraret, sicut desiderare par erat, ipsis S. Augustini disputationibus cogitandis curam impensery Tom. II.

deret: ut, in consistenda Dei gratia, desecatiſſimam, ac saluberrimam Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequeretur. Quo factum est, ut Summi Pontifices Romani, mei Predecessores, Zosimus, Bonifacius, Cælestinus, Leo, & Hormisdas S. Augustini doctrinam contra Pelagianos ita laudaverint, ut illius scripta, quæ intra Gallias a novis Pelagianæ hæresis sectatoribus reprehendebantur, consulto approbarent. Quemadmodum enim illi credebant, se omnia auctoritatum munimina posse convellere, si hanc

(1) Nota. (2) Ex M. 55. pag. 171. (3) Id multis probat argumentis Card. Madrutius. (4) Ad Cop. lib. 3. Hist. de Auxiliis.

(1) Merito quidem id verum esse, judicat Card. Madrutius. At infra in judicio de 16. propositione declarat, eum loquendi modum Patrum Societatis conciliari non posse cum iis, quæ de gratia vulgo docent.